EPISTOLA
PASTORALIS
AD CLERUM
ET POPULUM PATAVINUM.





[illegible] ad Conventum S. Buonaventurae de Urbe

ROMAE

APUD JOANNEM MARIAM SALVIONI
Typographum PONTIFICIUM VATICANUM.
ANNO DOMINI MDCCXLIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

CAROLUS

S. NICOLAI IN CARCERE TULLIANO DIACONUS

S. R. E. CARDINALIS

REZZONICUS,

Miſeratione Divina

EPISCOPUS PATAVINUS

ET COMES SACENSIS &c.



Venerabilibus Fratribus, dilectiſſimis Filiis, Capitulo, Clero, Populoque ſuo ſalutem in Domino ſempiternam.



IMpoſitum nobis Paſtoralis ſervitutis onus, VENERABILES FRATRES, DILECTISSIMI FILII, non minus inviti, quam immerentes, Deo ſic jubente, ſuſcepimus. Quanto id animi noſtri timore, atque tremore contigerit, cum ſatis abunde vobis, ipſo rumore publico nunciante,

ciante,

ciante, compertum ſit, non eſt quod pluribus nunc exponamus. Placuit Divinæ bonitati, cui proprium eſt infirma Mundi eligere, nos ad munus ſua amplitudine graviſſimum, atque verendum evocare; ut magis elucerent mirabilia ejus. Et ſane, qui totam rerum geſtarum rationem perpenderit, noſtræ humilitatis exaltationem inter præclara opera dexteræ Excelſi recenſere non dubitabit. Primum quidem animo concidimus (licet in eo confiſi, qui ſperantes in ſe confundi non patitur), quoniam vix, conſequuta electione, ſtatim novimus, veniſſe nos in altitudinem maris. Sed Clementiſſimus Deus, in ipſo Pontificalis Conſecrationis limine, nos oleo ſuæ unctionis aliquantulum recreavit. Quare, ut, nulla interpoſita mora, Vobis miſericordias Domini denunciemus, ſcire Vos volumus, VENERABILES FRATRES, DILECTISSIMI FILII, illuceſcente die, Sancto Joſepho Sponſo intemeratæ Virginis Mariæ conſecrato, mirificam animi noſtri factam fuiſſe converſionem: & novam rerum faciem emerſiſſe, cum nos, nullo licet meritorum ſuffragio, ſpeculatores facti Patavinæ Domûs Iſrahel, in mentem revocavimus, BENEDICTUM XIV. Pontificem Optimum, Maximum, virtute indutum ex alto, Apoſtolicas manus trepidis noſtris cervicibus impoſuiſſe, & myſticis Chariſmatibus roboraſſe; ut, quod noſtro gerendum eſt miniſterio, fortiter, viriliterque divina ope exequeremur.

mur. Oravit Sacerdos Magnus pro nobis Spiritum Paracletum, ut Cæleſtis unguenti fluor copioſe in noſtrum caput influeret, atque, in oris ſubjecta decurrens, ad totius corporis extrema deſcenderet. Oravit, ut Spiritus fortitudinis interiora noſtra repleret, atque exteriora circumtegendo protegeret. Oravit denique, ut abundaret in nobis conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Quare, poſt crebra illa ex imo corde ſuſpiria, quæ antea ingenti pavore correpti profundebamus, humiliantes nos demum ſub potenti manu Dei, ejuſque in Terris Vicario obſecundantes, Davidicum illud coram Domino recoluimus, *obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti*. Speramus itaque adfuturum eſſe Deum, ut impoſitum nobis per ineffabilem ſuæ bonitatis abundantiam miniſterium animarum, ſancte, & juſte, ac pie adimpleamus; demuſque operam omni ſtudio, & conatu, ut noſtra villicatio ſedulo peragatur, nullumque Vineæ detrimentum irrogetur.

Quare nunc Vobis VENERABILIBUS FRATRIBUS, DILECTIS FILIIS PRESBYTERIS, DIACONIBUS, SUBDIACONIBUS, UNIVERSOQUE CLERO, ET PLEBI SANCTÆ DEI, Præceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, per hanc Epiſtolam ſignificamus humilitatis noſtræ Miſſionem ad vos; ut allaboremus vobiſcum diu, noctuque ſine intermiſſione. Omnibus ergo precibus Dominum exoramus,

exoramus, ut vos quoque, qui in partem ſolicitudinis noſtræ vocati eſtis, veſtram laborum partem ſuſtineatis; exhibentes, ſicut Apoſtolus admonet, & ſicut, miſerante Domino, facere conſueviſtis, voſmetipſos exemplum bonorum operum in omni ſanctitate. Sed primum, Capitulum, & Canonicos alloquamur.

Gaudium, & corona noſtra quoniam eſtis Vos, ſublimem, ac præclarum locum, quem in Cathedralis Eccleſiæ ſubſelliis obtinetis, eximiarum virtutum ſplendore illuſtrare pergite; ut ita ſingularis illa, atque exultabunda lætitia, quam, ſicut ſcribitis, ex noſtra Electione ſuſcepiſtis, oriatur etiam in nobis, & creſcat magis in dies, ob egregiam pietatem veſtram, ex qua læta omnia ſperamus. Veſtri muneris eſt nobis aſſiſtere; noſque ab onere ſublevare, ut miniſterium, quod accepimus a Domino Jeſu Chriſto, fideliter compleamus. Opera, conſilioque veſtro, ad quæque peragenda, libentiſſime utemur: ac Fraternitatum veſtrarum numerum ſemper intimo noſtri cordis affectu proſequemur; rogantes pro eodem jugiter Deum Optimum Maximum, ut, cum proſpera, ac diuturna incolumitate, ad plures annos integer perſeveret. Cavete, ne diſciplinæ Canonicæ ulla infligatis vulnera; mutuam animorum, voluntatumque concordiam fovete; & ambulate in omni juſtitia, & ſanctitate; ne exprobrari vobis poſſit effatum illud S. Bernardi ad Eugenium,

nium, *vides omnem Ecclesiasticum zelum fervere sola pro Dignitate tuenda. Honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum.* Ponite ergo Vobis ob oculos institutum, quod profitemini; personam, quam sustinetis; vestem, quam induistis. Arripite thuribulum, hoc est preces Sanctorum, & Deum Optimum Maximum (qui est multæ misericordiæ omnibus invocantibus eum) jugiter exorate; ut nobis adesse velit ex alto, & gravissimum infirmitati nostræ impositum onus cælesti gratia sua, & opera vestra levare non prætermittat. Obsecrate eum, ut nos confirmet potentia virtutis suæ; effundatque super nos Spiritum consilii, & fortitudinis; ut, & quæ agenda sunt, videamus, &, ad implenda, quæ viderimus, animus convalescat. Non deerit certe nobis, si nos officium nostrum impleverimus, si vos vestro non defueritis.

Sed jam excurrat Epistola ad salutandos vos Pastores animarum, quos Deus posuit custodes nobiscum super muros Jerusalem. Amplectimur vos expansis brachiis Paternæ dilectionis, & deprecamur in visceribus Jesu Christi, ut soliciti sitis pro istantia vestra quotidiana, solicitudine scilicet Parochiarum. Muneris vestri debito fidelissime consuletis, si caritas urgebit, & impellet vos; si erunt pedes vestri, pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona; si nihil aliud quæretis, quam

quam gloriam Dei, & ſalutem animarum; ſi denique ſolicitudinem noſtram jugibus laboribus ſublevabitis, ſicut veſtra perſpecta pietas, atque religio abunde nobis pollicentur. Agite ergo, &, ad infirmitates ſpiritales, quibus concreditæ vobis oves obnoxiæ reperientur, medicas manus adhibentes, paſtoralis vigilantiæ ſtudiis, eas, ſi erraverint, in viam Divinorum mandatorum reducite: & caritate, quæ foras mittit timorem, arguite, obſecrate, & increpate eas, opportune, importune, in omni patientia, & doctrina; pluries, ſuadente juſtitiâ, aſperiora quæque aggrediendo; pluries, monente pietate, mitiora amplexando conſilia; pluries demum, cogente obdurata malitia, Paternas manus extendendo ad virgam correctionis: nihil curantes interea, quomodo veſtram hanc agendi rationem homines hujus ſeculi interpretentur. Probe noſtis, æquè *per infamiam, & bonam famam* ſerviendum eſſe Deo, nullumque laborem recuſandum; ut morum reformatio feliciter promoveatur. Hanc igitur rem, non minus arduam, quam ſalutarem, majori ſemper conatu urgere vobis mandamus. Vitia deplorare non ſufficit, niſi ea pro viribus etiam emendare ſtudeamus. Nos certe omni cura, omnique animi contentione dabimus operam, ut nullum vobis periculum inde exoriatur.

Paternum Epiſcoporum animum pulſat maxime inſcitia Legis Dei: quare nos vobis etiam

etiam, atque etiam inculcamus, ut omni induſtria, atque ſolertia Catholicæ Fidei, morumque Chriſtianorum principiis pueros imbuatis; quibus ipſi, quaſi lacte nutriti, ſolido poſtea cibo, omniumque virtutum incrementis augeantur. Ita in eis, cum ætate, Religio etiam, & pietas adoleſcet. Vobis ergo id maxime cordi ſit; quoniam, ſi ipſi ab adoleſcentia aures præbere aſſueſcent verbo Dei, cujus declaratio illuminat, & intellectum dat parvulis, ſique veſtra caritate allicientur; pro ea, qua præditi ſunt animorum docilitate, pronis ſtudiis voluntati veſtræ obſecundabunt. Hæc cum præſtaveritis, nos pro tanto animarum regendarum numero ſalutari timore perculſos mire conſolabimini; & gratias agemus Patri miſericordiarum, qui, dum elevans, alliſit nos, fecit immenſo oneri, quod ſubimus, ſupponere manus veſtras, ut gloriaremur in vobis, & faceremus ex ipſa noſtra infirmitate proventum.

Divinas Paginas, Sacroſanctum Concilium Tridentinum, Præceſſorum noſtrorum Decreta, familiares SS. Patrum, & præſertim Chryſoſtomi Conciones, Acta Mediolanenſis Eccleſiæ Rectoribus animarum maxime utilia, & Sancti Caroli Borrhomæi ſpiritu plena, ſaniores morum Regulas, ex limpidiſſimis fontibus hauſtas, Romanum Catechiſmum, & Rituale Parochorum diurna, nocturnaque

manu verſare vobis ſummopere commendamus, ut decet diſpenſatores myſteriorum Dei. Et, ne inimicus homo zizania in agro Dominico ſuperſeminare contendat, quæ bonas ſegetes ſuffocent, vos ſingulis diebus Feſtis inter Miſſarum ſolemnia viſitate campos, ſulcate glebas, eradicate germina vitiorum, & ſpargite ſemen, quod eſt verbum Dei.

Nobis ſemper ſanctum, firmumque erit, ut viros doctrina, pietate, ac prudentia omnibus digniores in Parochos eligamus; unice proſpicientes majori Dei gloriæ, & noſtræ Eccleſiæ utilitatibus, abſque acceptione Perſonarum: quoniam meſſis amplior, majorem in ſeligendis operariis ſedulitatatem exquirit.

Nullas etiam Paſtoralis ſolicitudinis partes omittemus, quò Clericos ad Altare Dei, per Sacrorum ordinum gradus, & juxta Eccleſiaſticas regulas, legitime traducamus. Quare eoſdem Clericos noſtræ Eccleſiæ ſervitiis mancipatos inſtruimus, & admonemus, ut diebus Feſtis Parochis adminiſtrent, in Sacris ſe exerceant Ritibus, pietati, & literis vacent, a ludis ſæcularibus, nocturniſque conventibus ſe abſtineant, atque in omnibus actibus ſuis nil, niſi ſanctum, grave, modeſtum, ac religione plenum præſeferant. Eos vero, qui majoribus ordinibus initiati reperiuntur, & Divinis myſteriis propius accedunt, volumus etiam, ut habitu talari incedant; ut ita (verba ſunt Sacro-

Sacrosancti Concilii Tridentini) *per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant, aliisque exemplo esse possint, sicut decet ministros mysteriorum Dei.*

Non patiemur absconditas esse sub modio lucernas illas, quæ super candelabrum collocari merebuntur; ut omnibus, qui in domo sunt, præluceant, & suarum fulgore virtutum Patavinum cælum illustrent. Clericis nostris, licet pauperculis, si bonus odor Christi erunt, Ordinationum, Beneficiorumque præmia non retardabimus; ut ita universi, qui bene se gerent in Divino famulatu, spei novæ stimulis magis accendantur. Econtra vero, Ecclesiæ nostræ rebus opem laturi, Clericorum catalogo ea nomina non adjungemus, quibus ejusdem Ecclesiæ rationibus minime consulatur. Quare in hanc rem, pro sanctiori disciplina urgenda, promovendaque, sicut ceteris Pastoribus animarum, ita potissimum nobis, qui florentissimo Clero præsumus, &, Sacræ Purpuræ dignitate, velut arctiore vinculo Ecclesiæ conjungimur, omni adhibita sedulitate, ac diligentia erit elaborandum; ut nullus, patefactis Sanctuarii aditibus, admittatur ad obeunda munera Domus Dei, cui morum, ac literarum merita non suffragentur. Omnia ergo Venerabilis Viri Gregorii Cardinalis Barbadici saluberrima Constituta, quæ de Ecclesiasticis Ordinationibus, & morum, littera-

rumque promulgata sunt disciplinis, ita singulis custodienda mandamus, ut si quis illa contempserit, omnem spem sibi noverit amputari. Opportunis itaque scientiæ pietatisque subsidiis destituti, etiamsi in sortem Domini voluerint cooptari, quoniam muneris, ad quod se vocari credunt, debito bene nequeunt respondere, minime promovebuntur.

Nemo etiam honores, facultates, prærogativas, Officia, Beneficia, Ordinationes &c. consequi speret, qui, ut impetret, per interpositas Personas Nos commendationibus, atque supplicationibus sollicitaverit. Hanc præviam declarationem facere voluimus, ad hujusmodi perniciosissima officia penitus eliminanda; quam licet aleæ plenam prævideamus, quoniam subeunda nobis erunt odia adversus homines sæculi, qui gravia, & minime toleranda rebus Sacris, Ecclesiasticæ disciplinæ, ac spiritali regimini præjudicia inferre moliuntur, firmo tamen, fortique gradu pergemus ire, quo cœpimus; animo recolentes, nihil ab Episcopis precibus peti oportere: preces enim apud eos, neque ad justa impetranda necessariæ, neque ad injusta extorquenda efficaces esse debent: & Canonicis sanctionibus, eos, qui ita agunt, antiquis potius cadere, quam novis augeri honoribus debere constitutum est. Igitur, ad importunas hujusmodi commendationes, supplicationes, intercessionesque declinandas, semper memores erimus

mus illius juris jurandi, quod de bene administranda Ecclesia Patavina præstitimus; quodque, divina favente gratia, sancte, ac religiose usque ad extremum vitæ nostræ spiritum adimpleturos speramus. Quoniam vero hæc præcipua nostra solicitudo jam evasit, ad Pastoralis officii debitum quammaxime pertinere censuimus de ea omnes commonere; ut compertum habeatur, neminem eorum, qui per interpositas Personas, Beneficia, Officia, Ordines &c. ope commendationum, & recommendationum exposcent, tam dissitum a cælo esse, quam ipse ab impetratione sit. Nemo igitur hujusce propositi, quod alta mente repositum manet, observantiam eludere studeat; nemo contemnere audeat: quoniam inania verba non damus; sed verba factis indubie respondebunt. Et sciant, nos in hunc finem non omisisse, non omittere, nec omisuros esse eas omnes obire partes, quibus spe omni destituantur hi, qui in ejusmodi commendationibus, officiisque confidunt. Deus Optimus Maximus consilia nostra Cælesti sua ope juvare, optatumque ad exitum perducere benigne velit; detque voci nostræ vocem virtutis, ut sapientiæ carnis, quæ inimica est Deo, Pastorale pectus obsistat.

Sed jam ad carissimos Clericos in Seminario degentes transeamus, eosque in visceribus Jesu Christi piis Rectoribus commendemus; ut ipsi sedulam curam de illis habeant, quorum

rum aliquando virtutibus Patavina Ecclesia erit illustranda. Nostram certe benemerentibus paternam dilectionem luculentis testimoniis Episcopalis largitatis comprobabimus; ut ita alacrius ad majora semper virtutum incrementa procedant, quæ cunctis demum læta esse possint, & utilia.

Sed Vos etiam, o Archigymnasii Patavini lumina, & Literariæ Palæstræ Clarissimi Præceptores, nostræ villicationis rationibus plurimum consuletis, si cura, & authoritate vestra dabitis operam, ut una cum Institutionibus bonarum Artium, & humanarum, Divinarumque rerum, solido quoque pietatis succo animi florentissimæ juventutis alantur, & imbuantur. Hoc si præstiteritis, Serenissimæ, & Religiosissimæ Nostræ Venetiarum Reipublicæ (numquam, ut confidimus in Domino, interituræ) fiet ex vestro insigni Lyceo nova semper majoris amplitudinis, atque celebritatis accessio. Agite ergo, atque in eam rem potissimum semper incumbite, ut omnia in pace sint posita, & ne rixæ, contentiones, & scandala exoriantur. Probe novimus, id omni tempore Christianam Vestram solicitudinem exercuisse, ex qua, etiam impræsentiarum, felicem, faustum, fortunatumque nostrorum votorum exitum ominamur. Magnificum sane, ac prorsus singulare Dei Optimi Maximi beneficium reputandum est, quod Patavina Ecclesia tanto gaudeat Athenæo; in

quo,

quo, si jugi fœdere pietati literæ semper famulabuntur, hi, qui in sortem Domini vocandi erunt, capient ab ipsis literis majora incrementa virtutum; & ager Dominicus, nobis immerentibus traditus, fructus dabit uberiores in tempore suo.

Nunc autem, quoniam huic Epistolæ nostræ latius evaganti jam habenæ laxatæ sunt, ad Regulares Ordines reverendos digrediamur, qui, levantes se supra se, inconstantiam voluntatis humanæ in prodigium fortitudinis Votis, ac Professionibus converterunt. Hortamur ergo Vos in Domino, ut nihil agatis, nisi sanctum, nisi laudabile, nisi Fundatoribus vestris dignum; utque tutam Evangelicæ perfectionis viam, quam estis ingressi, alacriter prosequamini: inhiantes Cælestis itineris termino; & paupertatem, labores, ærumnas, vigilias, orationes, ac jejunia læto, fortique animo sustinentes: quoniam tot animorum, & corporum afflictationes, tantamque rerum terrenarum inopiam, uberrima Cælestium charismatum copia Deus totius consolationis vobis largiter compensabit. Velitis itaque semper in dies magis Divinorum consiliorum, mandatorumque viam alacriter currere, & sine ulla intermissione calcare; ut tandem accipiatis Cæleste bravium, ac regnetis cum Christo in perpetuas æternitates. Subditi estote ex animo Præpositis vestris; & nobis etiam, in his quæ attinent jure ad nos.

Episco-

Episcopalia, & Parochialia jura sarta tecta servate: Confessiones excipientes, nostri examinis, cum libuerit, incunctanter periculum subitote: Conciones, sine nostra prævia delegatione, ad Populum non habetote.

Quod ad Sodalitates attinet Sæculares, eas scire volumus, ut animos jugiter inflamment suos ad ea tantum servitia in Domo Dei peragenda, quæ Ecclesiasticis institutis, ac Parochorum juribus præjudicia non inferant. Insignis pietas Populi Patavini ex votis omnia nobis eventura pollicetur.

Quare nunc convertemur ad vos, o electæ a Domino, desponsatæ Christo, Virgines sacræ, quæ voluistis servire Deo in omni castitate, magis quam habitare in tabernaculis hominum. Alta vobis construenda est turris Sanctitatis: quare ima jacite Religiosæ humilitatis fundamenta. Regnet in Monasteriis vestris jugis caritas, quæ patiens est, & benigna; quæ non emulatur, non inflatur, non irritatur; quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Sit in vobis ardens meditationis, atque orationis studium, quo per arduum perfectionis tramitem ad superiora conscenditur. Fiat unaquæque vestrûm sui abnegatione demissior, & divinarum rerum evadat contemplatione sublimior. Innocentia securioribus inclusa septis, sit inter alloquiorum pericula sanctissime custodita. Hominum

cavete

cavete affatus: manete in vocatione, qua vocatæ estis; & præliamini bella Domini, ut insignes de humani generis hoste victorias reportetis. Sit in vobis Paupertas Regularis, Castitas admiranda, cæca Obedientia, profunda humilitas, contemplatio sublimis, conversatio Cælestis. Estote prudentes Virgines, quas Dominus in cubiculis semper vigilantes inveniat. Sumite oleum vobiscum Divini amoris, eoque refertas lampades vestras, usque ad occursum Sponsi, inextinctas gestate, omnium virtutum meritis, omnium charismatum donis prælucentes. Sine intermissione pro vobis, ac pro nobis etiam orate, ut consumemus cursum nostrum, & ministerium, quod accepimus a Domino Jesu Christo. Sed nimis longum esset ire per singulos: quare intimo Paterni cordis affectu universos nostræ solicitudini commendatos insimul amplectemur, hortabimurque, ut vestigiis Divinorum mandatorum semper inhæreant, & ambulent in viis ejus.

Quoniam vero uniuscujusque Ecclesiæ peculiaris morum institutio, & sanctior disciplina in Episcopalibus Synodis, Constitutionibus, atque Decretis maxime quærenda est, nos, ut etiam in hoc genere nostræ Diœcesis utilitatibus pro viribus, favente Domino, consulamus, dabimus operam, ut, quæ a Præcessoribus nostris pie, ac sapienter ordinata sunt, in unum Corpus redigantur. Ab illis vero temporibus,

quæ Sacrosanctum Concilium Tridentinum proxime consequuntur, hujusce Collectionis sumemus exordium; & alte, atque, ut oportet, a capite repetemus eam seriem Legum, quarum adhuc ea vis est, ut jubeant, & in vigore permaneant. Quid autem tam utile nostris hominibus in sortem Domini vocatis, quam isthaec Juris Ecclesiastici Patavini Collectio, a qua, post generales Regulas, haurienda erit a Plebibus norma totius vitæ, & sanctitatis. Habebunt in ea greges nostri aliquid uberius, quam Jus commune præscribat: & legentes tot suorum Episcoporum Ecclesiastica Constituta, in quibus traditur Clero, & Plebi sanctæ Dei, quæ sint facienda, prohibenturque contraria, ignorantiam non allegabunt, quæ, universorum mater foecunda malorum, in Ecclesiasticis Personis, nec excusatione digna videbitur esse, nec venia, ipsisque non suffragabitur, ob hujusmodi Collectionem, quæ quasi officinam instruet sapientiæ. Ita nemo indemnis, & innoxius eas Leges amplius negliget, atque violando perrumpet, in quibus condendis, tot Præsules venerandi suas curas, & vigilias impenderunt, ut omnium mores ad normam Oecumenici Concilii Tridentini componerentur. Hæc potissimum causa nos impulit, ut Corpus tale condere, & ordinare meditaremur. Nam, cum nobis incumbat onus Ecclesiam Patavinam sanctissime gubernandi, magni æstimavimus inter-

intereſſe, ſi ad Cleri, & Populi noſtri componendos mores, & ſemper in melius reformandos, tot ſalutaria, & Eccleſiaſtico ſucco plena Decreta uno Corpore continerentur; præſertim, quia eorum exempla, diverſis temporibus promulgata, ut plurimum ſcriptoris tantum manibus, non autem Typographi prælo commiſſa ſunt: quod inobſervantiam facile poteſt inducere. Itaque, cum Collectio prodibit, hortamur omnes, ad quos ratione muneris, oneris, vel officii pertinebit, ut ſæpe ſæpius eam legant, ac meditentur. Legum patrocinium ita ſuſcipiendum erit, ne Epiſcoporum interitu, Conſtitutiones etiam intereant.

Clementiſſimus Deus vota noſtra pronis auribus dignetur excipere, & ſua Cæleſti benedictione complere. Quod, ut præſtet, tenebimus quamprimum Aram S. Proſdocimi (Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Diſcipuli, & Eccleſiæ noſtræ primi Fundatoris); tenebimus ejus Confeſſionem; &, cum illo nobiſcum orante poſt obitum, inde tendemus ſupplices ad Deum manus, rata ut habere velit ea, quæ nos per hanc Epiſtolam adhuc abſentes vobis ſignificamus. Interim etiam Vos, o VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII, SS. Præceſſorum noſtrorum, Maximi, Fidentii, Syri, Leonii, Hilarii, Bernardi, & Bellini altaribus provoluti, eorum ſuffragiis intercedentibus, impetrate nobis auxilium ex alto. Hi ſunt,

qui, post S. Prosdocimum, cum essent in hoc tabernaculo, suscitaverunt majores vestros in commonitione; atque, in exstirpandis, aut Ethnicæ superstitionis, aut vitiorum zizaniis, pretiosa morte Sanctorum occumbentes, animas suas pro Domino profuderunt. Hi gravissimam causam juvent nostræ Legationis ad vos, in qua, cum vestra salute, nostræ quoque salutis ratio conjungitur.

Vinea est Ecclesia, quæ nisi opportunis, firmissimisque maceriis, ac sepibus muniatur; fures non deerunt, qui eam devastare minime perhorrescant. Quare nos nihil magis diu noctuque elaborabimus, quam ut ad ejus curam fideliter excubemus. Hac de causa, quando veniemus ad Vos, (veniemus autem brevi) universam Diœcesim sacra Visitatione lustrabimus; nec ulla locorum asperitas nostræ solicitudinis cursum retardabit. Memores enim sumus illius mandati, quod Paulus intonat, dicens, *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Et illud terribile verbum Domini, quod factum est ad Ezechielem, nostris etiam auribus strepit: „ Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos; nonne greges a Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, &, quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis; &, quod ægrotum, non sanastis; quod confra-

ctum

ctum, non alligastis; quod abjectum, non reduxistis; & quod perierat, non quæsistis: idcirco dispersæ sunt oves meæ, eo quod non custodiret, nec visitaret eas Pastor, & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt oves meæ in cunctis montibus, & in universo colle excelso; & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret. Audite propterea verbum meum Pastores; vivo ego, dicit Dominus, quia facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset Pastor, qui, semetipsum tantum pascens, nec gregem meum quærens, nunquam sibi commissas oves pascebat, nec eas assidue, ut æquum erat, visitabat: idcirco Ego ipse super Pastores, de manu eorum gregem meum requiram, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant armenta, nec pascant amplius semetipsos, & de eorum ore gregem meum liberabo, & non erit ultra eis in escam.„ Properabimus igitur, DILECTISSIMI, venire ad vos, sedulo exploraturi an ager noster Dominicus alicubi silvescat spinis, aut tribulis; an veternosæ in eo arbores reperiantur, quæ nullum alium fructum afferant, quam glandium, & siliquarum; an otiosa jaceat Parochorum securis; an exturbentur malæ bestiæ a terminis suis, ut greges securi, & tuti in pascua educantur; an plebes clericis, clerici

Sacer-

Sacerdotibus, Sacerdotes nobis ſubjecti ſint: an demum quidpiam incultum inveniatur.

Cæleſtis Paterfamilias, qui profert de theſauris ſuis nova, & vetera, etiam in diebus noſtris aliud novum exemplar ad Eccleſiam pie, ac ſapienter adminiſtrandam nobis propoſuit, Venerabilem nempe Gregorium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Barbadicum, qui, non minus ſanctimoniæ, quam Paſtoralis ſolicitudinis luce, Patavinum Cælum illuſtravit. Quanta fecerit, & docuerit, quoniam ſatis superque vobis comperta ſunt, & in nupera Ferdi-
n. V. nandi Ughelli Editione* *Italiæ Sacræ* leguntur,
163. nos hic non recenſemus. Ordines univerſi maxime in votis habent, ut ejus ſplendida merita totius Eccleſiæ Venerationi tandem aliquando proponantur; ac, veluti ſuper candelabrum collocata, luceant omnibus, qui in domo ſunt, ad majorem Dei gloriam, & noſtræ Eccleſiæ præſidium, & decus ſingulare.

Quoniam vero ad noviſſima tempora jam acceſſimus, acerbiſſimum illum, ac vere luctuoſum Joannis Minotti Ottoboni Præceſſoris noſtri obitum, quem maximo cordis veſtri mœrore nuper defleviſtis, hic etiam commemoramus. Nullum ſane vobis dubium eſſe poteſt, quin animos æque noſtros ingenti dolore affecerit gravis illa Patavinæ Eccleſiæ jactura, cui aliquantulum ſarciendæ BENEDICTUS XIV. Pont. Max. & de univerſa Chriſtiana Republica mul-

tis

tis nominibus optime meritus, nostram imbecillitatem clementissime destinavit.

Cum primum licuerit, VENERABILES FRATRES, DILECTISSIMI FILII, celerrime veniemus ad vos. Adventus autem noster ut bene vertat Ecclesiæ Patavinæ, precibus omnibus exorate gloriosissimos ejusdem Patronos, Justinam scilicet invictissimam Martyrem, & Antonium alterum Thaumaturgum, cujus memoria est in benedictione omnium Populorum. Ipsum etenim vere Sanctum, vere pauperem, vere humilem, vere Beati Francisci filium, non solum heroicarum virtutum meritis, sed etiam perennium, & illustrium miraculorum gloria præfulgentem, piis peregrinationibus omnes Christifideles venerantur. Divini verbi præconium, ita illius linguam Cælestibus inbuit aromatibus, ut ipsa, incorruptione quæsita, quasi cinnamomum, & balsamum aromatizans, & quasi myrrha electa, suavem reddat odorem immortalitatis. Ipsa ergo tam cara Deo, ab eodem impetret nobis largum Cælestis gratiæ, luminumque viaticum, ut dirigantur gressus nostri in viam salutis, & pacis.

Credimus quidem non sine peculiari Divinæ providentiæ consilio contigisse, ut nos desponsaremur Ecclesiæ, cujus insignis Cathedralis Domus, est in honorem B. Mariæ Virginis, Deo consecrata. Videtis enim atque perspicitis quanto nos auxilio Cæli Regina juva-

bit.

bit. Quamprimum itaque nos, adnuntiaturi una vobiſcum in eadem Eccleſia laudes ejus in exultatione, cantabimus Canticum novum, quem ipſa cantavit Domino ſuo. Interim hanc Epiſtolam noſtram ſolemni ANNUNTIATIONIS ejus die voluimus mittere ad vos, ut jugibus veſtris apud Eam votis, & precationibus nobis occurratis, & Divinam bonitatem obſecretis, ut ſua Cæleſti ope adventui noſtro benedicat ex alto. Id Vos facturos ſperamus. Quare, expanſis noſtri Paſtoralis amoris brachiis, amplectimur unumquemque veſtrûm in oſculo Sancto, oramuſque, ut *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis.*



Datum Romæ extra Portam Flaminiam, VIII. Kalendas Aprilis, Anno Domini MDCCXLIII.

